



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Enarratio Epistolæ Prioris Ad Timothevm, Et Dvorvm
Capitum secundæ**

Melanchthon, Philipp

Vitebergæ, 1561

VD16 M 3167

Omnis creatura Dei bona est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36308

I. EPISTOLA AD

De his furoribus præmonet Ecclesiam Paulus, & duo signa expressè ponit, prohibitionem coniugij, & discrimina ciborum. Sciamus igitur non esse Ecclesiam Dei defensores talium errorum, Et hoc Pauli testimonio confirmemus nos, ut sciamus rectè taxari errores illos, & Ecclesiam Dei esse coetum, qui uocem Euangelij incorruptam amplectitur, & improbat illos errores. Caterum de traditionibus & de coniugio alibi doctrina integrè tradita est.

Omnis creatura Dei bona est.

Opponit regulam fanaticis spiritibus, qui damnant coniugium, cibos, ordinem politicum, distinctionem dominiorum, iudicia. Semper enim multi fuerunt sunt & erunt tales hypocrite, ut olim Marcion, Tatianus, Manichæi, Papi Monachi, & nunc Anabaptista, qui de distinctione dominiorum sic argumentantur. Nemo licet appetere alienum. Omnes res extra spiritum sunt alienæ, ergo non licet appetere illas tales res ut facultates.

Respondeo, Maior uera est de alieno quædam politica distinctione dominiorum pertinet ad alterius dominium, iuxta illud, Non concupiscas alterius uxorem, neq; res alterius. Minor est falsitas, ut, manifestum est propria uxor est. res extra spiritum

TIMOTH: CAP. II. III. ¶

spiritum, Non dicitur isto modo res aliena, cibi sunt res extra spiritum, & tamen appetendi sunt.

Sic Tatianus argumentabatur, Scriptum est in Euangelio secundum Aegyptios dixisse Christum ad Salomonem, ueni ut soluam opera mulieris, Parere est opus mulieris, ergo Christus abolet coniugium.

Nego minorem, quia parere opus est quod Deus & condidit, & iuuat. Sed lapsus Euae est proprium opus mulieris, de hoc lapsu Christus loquebatur.

Hæc exempla recitavi, ut iuniores considerent ludos Sophismatum, & Diabolicas præstigi-
as, & se uera doctrina præmuniant, Nam rectè cognitis fontibus refutatio facilis est.

Quod autem dixit Paulus creaturas esse res bonas, intellige quatenus sunt à Deo, & sicut usus ordinatus est, Abusus autem uicium est in uoluntate abutentium. Ideo mox addit Paulus sententiam plenam eruditionis, Sanctificatur per uerbum & precationem, id est, usus coniugij, cibi, imperij, dominij, fit sanctus, concessus à Deo, & Deo placens per uerbum & precationem, id est, cum utens sequitur uerbum Dei, quod regit usum, & habet noticiam Euangelij, Ac scit has res externas non esse iusticiam æternam, sed Deum sibi in hac uita mortali colligere æternam Ecclesiam,

I. EPISTOLA AD

ac tantisper uelle, ut uita foueatur cibis, & maneat propagatio ordinata uerbo Dei, & conseruetur communis societas. Quanquam autem haeres non sunt iusticia aeterna, tamen lucent in eis bonitas & sapientia Dei, & uult Deus nos in earum usu exercere & ostendere obedientiam.

Ac omnino amplissimam sapientiam significat Paulus cum inquit, usum fieri sanctum per uerbum Dei, id est agnitione totius doctrinae Dei de iusticia aeterna, & de uita corporali, in qua uult inchoari aeternam Ecclesiam,

Iubet autem Paulus & precationem addi, id est, petitionem auxilij, confessionem & gratiarum actionem, Quia & hanc corporalem uitam uult Deus esse occasionem exercendae & ostendendae obedientiae, quare de coniugio, de castitate, de educatione & institutione sobolis, de communi societate, de toto ordine politico, de uitandis homicidijs & furtis, tradidit nobis uerbum, & in hoc pulcherrimo ordine in quo lucent ipsius sapientia & bonitas uult exerceri timorem, fidem, spem, inuocationem, dilectionem, castitatem, beneficentiam, modestiam & alias uirtutes.

Necessaria sapientia est in Ecclesia recte intelligere discrimen Legis & Euangelij, & iustitiae aeternae in cordibus, & usus rerum corporali-
um

lium, quem Deus suo uerbo certo modo ordinauit,
 Quia in hac mortali uita Ecclesiam uult colligi,
 & in harum ipsarum rerum usu lucere fidem,
 inuocationem, & alias uirtutes.

Sed Manichea & Anabaptistica colluies
 fascinata à Diabolo ostentat nouam sanctitatem,
 quasi reliquerint terram & uolent in cælo ex-
 tra hanc uitæ societatem, & iactat interea se ha-
 bere mirandos afflatus. Et quia hæc hypocrisis
 mendacium est, nec carent rebus in hac uita, faci-
 unt postea confusiones libidinum, & mouent se-
 ditiones, & uolunt nouam Ierosolymam consti-
 tuere sicut sepe accidit, Nam & olim similis
 Tragedia Monasteriensi accidit in Phrygia in
 oppido Pepuza, quam nominabant nouam Iero-
 solymam, & habebant ibi fanaticos uates.

Hæc admonitio contra Anabaptistas & simi-
 les spiritus fanaticos, diligenter consideranda est.
 Ac Paulus ideo inquit, Sanctificatur cibus per
 uerbum Dei, ut doceat utentes quomodo bona
 conscientia rebus uti possint, Sicut alibi inquit,
 Quicquid non est ex fide peccatum est, Rom: 14.
 Eius dicti sententia natiua rectè tenenda est non
 tantum est legale dictum, Sicut multi interpre-
 tantur hoc modo, Quicquid prohibitum est man-
 datis diuinis ad nos pertinentibus peccatum est,
 Quamquam autem hic legalis intellectus uerus
 est,

I. EPISTOLA AD

est, tamen nondum reddit totam sententiam dicti Paulini, Sed quia fit mentio fidei oportet completi Euangelium, Nec tantum intelligatur fides de noticia historie, sicut dicunt, Honeſta opera hominis Ethnici non placent Deo, quia non est in professione Christiana, Sed intelligi oportet veram fidem quæ accedit ad Deum fiducia Mediatoris, & inuocat eum, ubi talis fides non est, Sed cor agit contra conscientiam, aut manet in dubitatione, ut suspendens furem, & tamen existimans se contra Deum facere, non potest inuocare Deum, & agit cum contemptu Dei.

Sit igitur nota hæc regula Pauli, & rectè intelligatur & præluceat omnibus actionibus, & ne quid faciamus contra conscientiam, & ut conscientia regatur uerbo Dei ac possit accedere inuocatio, uidelicet omne quod non est ex fide peccatum est.

Corporalis exercitatio ad modicum est utilis, pietas ad omnia &c.

Utilis distinctio est inter necessaria & necessaria opera, electa exercitij nostri causa sunt ieiunia, uel alij labores suscepti ad frangendum corpus, Ac semper in Ecclesia externe seruatione